









1258.

Hermann Phil.
Die Wagnisse.

44/57800





CONCLVSIONES
DE
VS V F R V C T V.

QVAS,

Diuina annuente clementia,
AVCTORITATE ET APPRO-
BATIONE AMPLISSIMI IV-
RECONSVLTORVM COLLEGII
IN CELEBERRIMA HEI-
DELBERGENSIVM
ACADEMIA:

Sub Præsidio

CLARISSIMI ET CONSULTISSIMI
VIRI D. PHILIPPI HOFMAN, I. V. D.
Et Antecessoris ordinary dignissimi.

PRO CONSEQUENDIS IN
UTROQUE IVRE DOCTO-
RALIBVS INSIGNIBVS
AC PRIVILEGIIS.

Pro viribus tueri conabitur

ALEXANDER HOHENBVCH
VVORMATIENSIS.

Ad diem IX. Iunij horis & loco solitis.



HEIDELBERGAE,
Apud Abrahamum Smesmannum.
c I o. I o. XCIII.

CONGRATULATIONS
TO THE
ADAM KAVOKOV



380/44(578.00(4))



CONCLVSIONES
DE
VS VSF RVC TV.

I.

VS VSF RVC TV verbum est ambiguum. Nonnunquam enim partem significat dominij, cuius præcipuus usus in fruitione consistit, de quo hic non agitur: frequentius personalem seruitutem à dominio seu proprietate separatam formam habentem, quæ non pars est dominij, sed instar partis, ac parti similis huius que loci proprius.

II.

Ac definitur à Paulo ius vtendi fruendi rebus alienis, salua earum substantia.

III.

Perperam igitur Dd. Vsumfr. alium causalem aliud formalem quasi diuersas species constituunt. Non enim his vocabulis, quæ facilitoris doctrinæ causa retineri possunt, vsusfr. diuiditur, sed vocis diuersa significatio ostenditur.

IV.

Vsusfructus duplex est: Alius proprius, qui in rebus, quarum substantia vsu salua manet, consistit, siue ex mobiles sint siue immobiles, non tamen incorporeales, et si interdum eueniat, ut magis in eas impendamus quam de illis acquiramus.

V.

Hinc nummorum aureorum vel argenteorum, quos antiquitatis causa ad usum puta voluptatis, signandi aut alios, non ad rerum pretia comparatos habemus. Statuarum item & imaginum Usuum fr. propriè quoque relinquere posse non ambigitur.

VI.

Alius quasi Usus fr. quem in iis rebus, quæ usu consumuntur (veluti sunt res in quantitate consistentes, pharmaca lanæ, non verò vestimenta) utilitatis causa, cautione de restituendis iis ex Senatus consulo ritè interposita senatus constituit.

VII.

Proprius Usus fr. non tantum constituitur ultima voluntate, ut testamentis & Codicillis, sed etiam dispositionibus inter viuos, veluti pactionibus, stipulationibus, donationibus. At quasi Usus fr. non nisi ultima voluntate constituitur.

VIII.

Ad acquirendum verò Usuum fr. inter viuos constitutum pactum vel stipulatio non sufficit, sed traditionem vel patientiam sequi necesse est; quæ non desiderantur, ultima voluntate usus fr. constituto.

IX.

Dies vero legati usus fr. ab adita tandem hereditate cedit: si ex die legatus sit, dies non cedit, nisi cum & venit.

X.

Quotiescumque autem vel inter viuos vel ultima voluntate usus fr. constituitur, non necesse est eū dari vel relinquere per verbum ususfructus. Nihil enim refert, quibus is verbis constituatur, dummodo de usufructu constituendo constet actum fuisse.

Hinc

XI.

Hinc quæsum; Fructibus fundi legatis annuis an
vſusfr. legatario constitutus videatur? Quod affir-
mamus.

XII.

Controuerti potest, si testator quidem vſumfr. do-
mus leget, attamen cum onere, ne altius tollat, vtrum
per vſumfr. proprietas quoque legata censeatur? Af-
firmant Dd. Communiter, Pinelli negantis senten-
tia nobis arridet.

XIII.

Præterea ipsa quoque lege Vſusfr. cōſtituitur: vel-
uti parenti in bonis liberorum aduētiis, item in bo-
nis filij Emancipati pro parte dimidia.

XIV.

Adhæc à iudice in Fam. Ercisc. & Com. diuid. iu-
diciis, si vni fundum alteri vſumfr. adiudicauerit.

XV.

Sed & purè & sub conditione, ad diem quoque &
ex die vſusfr. rectè fit constitutio; nec non pro parte
diuisa vel indiuisa. Vſusfr. enim diuiduus est, non, vt
cæteræ seruitutes, indiuiduus.

XVI.

Rursus vel omnium bonorum rectè legatur vſusfr.
salua tamen falcidia, & detracto ære alieno, vel partis
eorundem, sub qua in dubio dimidiā bonorū par-
tem contineri existimamus.

XVII.

Efficaciter sic constituto vſufructu actio ex stipu-
latu vel ex testamento, non autem actio confessoria,
fructuario, ad consequendum vſumfr. competit.

XVIII.

Quem tamen proprietarius tradere non tenetur,

nisi cum Inuentarij confectione, fructuarius cautio-
nem præstiterit, vsurum se boni viri arbitratu, & cum
pertinere ad eum desinet restituturum quod inde
extabit.

XIX.

Quod Iuris quidem obtinet, si proprius sit vſusfr.
In quasi vſufr. de re eiusdem qualitatis, vel, quod cō-
modius est, æstimatione, finito vſufr. reddenda ca-
uebit.

XX.

Cautionis verbo in vtroque vſufr. non nudam &
simplicem promissionem, sed satisfactionem, quæ fit
datis fideiussoribus, vel etiam pignoribus intelligi
volumus.

XXI.

Regulariter autem omnis fructuarius satisfare te-
netur, in tantum, ut cautiones eiusmodi ne testator
quidem suo testamento prohibere possit.

XXII.

An ab hærede vel alio proprietario, qui inter viuos
vſumfr. constituit remitti possint disputari potest?
Communi nos sententiæ, in proprij vſusfr. cautione
id affirmanti, in quasi autem vſusfr. satisfactione ne-
ganti subscriptimus.

XXIII.

An igitur ante præstatam cautionem proprij vſusfr.
fructus suos faciat fructuarius non inconuenienter
queritur? Et suos facere, si vitiosè non possederit, cum
Pinello affirmamus.

XXIV.

Quid vero iuris si cautiones quidem exactæ sint,
attamen ob egestatem & inopiam fructuarij præstari
ne-

queant? De rigore Iuris vſufr. cum priuandum statuendum esset, æquius tamen est, vt si quidem bonus sit, & probata vitæ, iuratoriæ cautioni relinquatur; fin autem suspectus, vt proprietarius fundum ad se recipiat & vice vſusfr. certam annuatim summam seu fructuum seu pecuniaæ soluat.

XXV.

Nonnullis tamen hæc satis dandi necessitas de iure est remissa, veluti parenti in bonis liberorum adventitiis: atque tunc cautionis loco Inuentarij confessionem ab eo exigi posse, non sine ratione Donello placuit.

XXVI.

Donatorem vero, qui omnia sua bona reseruato vſufr. alteri donauit, ab hac fatisdatione immunem esse, suadet æquitas & politica quædam comitas.

XXVII.

Cæterum petita riteq; præstita cautione, omnem in distinctè rei utilitatem, quæ occasione quouis percipi potest, fructuarius consequitur.

XXVIII.

Hinc eorum, quæ vi fluminis fundo fructuario acreuerunt, vſumfr. ad fructuarium pertinere statuimus.

XXIX.

In Thesauro inuento in fundo fructuario id Iuris nonulli existimant, vt totus sit proprietarij. Nobis inuentori dimidiā, proprietario alteram dimidiā cedere vero similius videtur.

XXX.

Nec ipſe ſolum frui ea re quouis modo potest, ſed
& alij

& alij eam fruendam concedere, locare, vendere,
In iò & ius suum in aliū transferre poterit, ita ta-
men, ut morte finiatur cedentis, non eius in quem
translatus est vſusfr. quamvis Dd. communiter dif-
fidentiant.

XXXI.

Interim vero formam seu substantiam rei in vſum-
fr. concessæ, ne quidem meliorem faciendo Domini
causam, Iure suo mutare potest.

XXXII.

Sed & seruitutem imponere nequit. An propri-
tatis Dominus consentiente fructuario seruitutem
fundo possit constituere, controvërsi Iuris est? Et si
quidem per eam vſusfr. tollatur vel etiā impediatur,
ne contentiente fructuario proprietarium impo-
nere posse, pro Communi contra Pinell. substinebi-
mus.

XXXIII.

Planè fructuum Dominus vſufructuarius non effi-
citur, nisi eos perceperit, non perceptos, et si maxi-
ma parte anni steterint, quo vſumfr. finiri contingit,
non acquirit, nec quicquam horum ad hæredes eius
peruenit.

XXXIV.

Feudo ad Dominum sine culpa reuerso in fructi-
bus nec dum perceptis distingui solet, vtrum vasallus
ante Calendas Martij, aut post Calendas Martij in-
tra mensem Martium & Augustum, aut deniq; post
Augustum mortuus sit: Primo & postremo casu o-
mnes indistinctè fructus ad dominū perueniunt, secun-
do casu fructus pro ea anni parte heredum manent.

Quem-

XXXV.

Quemadmodum autem plurima sentit commoda fructuarius: Ita æquum est eundem concernere incommoda. Proinde modica refectio ad eum pertinet, ita ut ædes sartas tectas conseruet. Si quid ultra quam impendi debebat erogatum constet, conditione reposceret.

XXXVI.

Vestigalia, tributa, stipendia & alia quædam onera realia fructuarius quoq; agnoscit, siue consueta sint & ordinaria, siue futura siue præterita siue modica siue immodica.

XXXVII.

Cumq; re vti debeat salua earum substantia omnem is rei tuendæ diligentiam adhibere debet: tenebitur etiam fundum rectè colere, in locum arborum de mortuarum alias substituere & in locum defunctorum capitum noua submittere & ex agnatis supplerre, si vniuersitatis vſusfr. legatus sit, secus si quis singulorum tantum capitum vſumfr. habeat.

XXXVIII.

Quod si verò in Vſuſfr. suo impediatur fructuarius, actio in rem Confessoria aduersus possidentem vel impedientem ei accommodata est, vt priori casu res fruendi causa sibi restituatur posteriori liberāvtendi facultatem consequatur fructusq; perceptos cum omni interesse recipiat: Sicut vicissim Negatoria ad libertatem prædiſuo aſtruendam competit.

XXXIX.

Finitur Vſuſfr. multis modis. ac primum quidem more fructuarij, nisi testator vel alius vſumfr. con-

stituens ad heredem quoq; eius hunc peruenire voluerit, qui tūc finietur, cūm primus heres decesserit, vel alio modo vsumfr. amiserit.

XL.

An Vsufr. per ingressum monasterij vsumfr. suum amittat, hic quæri solet. Reiectis aliorum opinionibus non amittere nobis verius videtur.

XLI.

Expirat quoq; Vsusfr. maxima & media capitis diminutione nisi ea ante Vsumfr. & diem eius cedentem acciderit. Et non vtendo per modum & tempus inter præsentes decennij, inter absentes 20 annorum.

XLII.

An etiam malè vtendo? Pleriq; id affirmant. Nos autem cūm aliis remedii proprietario in hunc evenatum sit prospectum, atq; fructuarius ex cautione sua præstata in id quod interest conueniri possit, vsumfr. non amitti statuimus.

XLIII.

Consolidatione quoq; & cessione proprietario facta vsumfr. extingui constat. An idem Iuris in cessione in extraneum facta? Negamus.

XLIV.

Finitur deniq; Vsusfr. rei totius mutatione seu interitu irreparabili, nec non finito tempore ad quod fuit constitutus. At quasi Vsusfr. sola morte naturali vel ciuili amittitur.

XLV.

Finitus autē ad proprietatem reuertitur, nisi duobus vel pluribus coniunctim sit legatus. Tunc enim eo in vnius persona deficiente, accrescit cæteris nec ad proprietatem reddit.

Con-

XL VI.

Coniunctorum tres constituuntur species, ut alij re & verbis simul, alij verbis tantum, alij re tantum coniuncti dicantur. Inter re & verbis coniunctos dubium non est, quin iuri accrescendi locus sit, siue unus ex iis moriatur, vel legatum vsufr. repudiet, vel etiam acquisitum rursus amittat. Quod ultimus singulare ratione in usufr accrescendo est permisum.

XL VII.

In coniunctis re tantum distinguendum existimamus, ut siquidem alter moriatur vel usumfr sibi legitum repudiet, totus ususfr. ad alterum iure non decrescendi pertineat. Quod si verò alter usumfr. semel acquisitum pro sua portione rursus amittat, iure accrescendi ad alterum totus ususfr. spectet.

XL VIII.

An Ius accrescendi sit inter verbis tantum coniunctos Dd. controvèrtunt? Non habere verius quis dixerit, nisi data opera testatorem eos coniunxisse appareat.

XLIX.

In concursu coniunctorum quisnam præferatur non incommodè queritur? Et re & verbis coniunctum cæteris vel re tantum vel verbis tantum potior rem esse receptum est. Quod si verbis tantum coniunctus cum re tantum coniuncto commisceatur illum huic præferendum esse placet.

L.

In Usufr. deniq; inter viuos constituto iuri accrescendi non dari locum cum Vasquio & Duarenio contra Bartolum aliosq; concludimus.



COROLLARIA.

I.

In utramq; partem est agitata questio, An filius f. qui bona sua aduentitia apud tertium constituta per vim & autoritate propria occupauit, incidat in constitutionem L. Si quis in tantam C. Vnde vi? Neganti sententia patrocinatur Mechinius. Affirmatiua nobis videtur probabilior.

II.

Prodigo non ipso iure, prout Donello visum est, sed per sententiam Iudicis declaratoriam bonorum administratione interdicitur.

III.


Feudum iure nouissimo sine consensu Domini aliij sub infudare licet, ita tamen ut talis subinfudatio duret solummodo ad vitam infeudantis, nec eo defuncto, agnatis aut Domino priuident, etiam si vasallus secundus priori Domino servare & ab eo feudum recognoscere voluerit.

F I N I S.



380/44/57800(4)

X13<4457800400015



+ colorchecker CLASSIC

x-rite



Freie Universität Berlin

